



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd non oporteat in bigami nuptiis prandere presbyterum. cxxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt illi quibus vxores ducere licitum non est, aliorum nuptias deuent. Cap. CXXXII.

Ex epist. Leonis papa, ca. 10

QVIBVS licentia vxores ducendi non est, alienarum nuptiarum euitent conuiuia.

Quod non oporteat in bigami nuptijs prandre re presbyterum. Cap. CXXXIII.

Ex concil. Neocaesarea, ca. 7.

Presbyterum in nuptiis bigami prandre non conuenit: quia cum poenitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui, propter conuiuium, talibus nuptiis possit praebere consensum?

De eadem re. Cap. CXXXIII.

Ex dictis August.

Presbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores non est licitum, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, neque his coetibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obsceni motus corporum choris, & saltationibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluat.

De eadem re. Cap. CXXXV.

Ex decreto Martini papa, ca. 1.

NON liceat sacerdotibus, vel clericis aliqua spectacula in nuptiis, vel conuiujs spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula surgere, & redire inde.

Vt nullus clericus in aliena ciuitate suscipiatur sine commendatitijs epistolis. Cap. CXXXVI.

Ex canone apostolico.

VT si quis clericus aut laicus ad alteram properauit uitatem, & suscipitur praeter commendatitias epistolas, & qui susceperit, & qui susceptus est, communicatio priuetur.

De eadem re. Cap. CXXXVII.

Ex concilio Antiocheno, cap. 27.

Nulli peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitijs suscipiantur epistolis.

De clericis fugitiuis, ne ab alijs recipiantur.

Ex concilio Aureliano, cap. 8.

IN concilio Antiocheno simul & in Chalcedonensi praecipitur, ut fugitiui clerici & peregrini a nullo recipiantur, nec ordinentur, nisi cum commendatitijs literis, sui episcopi vel abbatis licentia.